

CXXVIII.

Anno 1406 — 1470.

Privilegium Sigismundi Regis, de Decimis a Regnicolis Regni Slavoniae Episcopo Zagrabiensi secundam antiquam consuetudinem praestandis, anno 1406. exaratum et a Blasio Magyar, Regnorum Bosnae, Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Bano, anno 1470. transsumptum.

Nos Blasius Magyar, Regnorum Bozne, Dalmatie, Croatiae et Slavonie Banus etc. memorie commendamus: Quod Nobilis Johannes Viti de Korbawa, et Anthonius de Kopyncz, ad nostram venientes presentiam, in ipsorum ac totius universitatis Regni Slavonie nobilium nominibus et in personis exhibuerunt et presentarunt nobis quasdam litteras condam Domini Sigismundi Regis sigillo suo a tergo appressas communitas, patenter — ad relationem Magnifici Domini condam Johannis filii Henrici Wayvode Transylvaniensis emanatas, factum decimarum, libertatemque ipsorum Regnicolarum et consuetudinem antiquam in se denotantes et continentes, tangentes — petentes nos cum Instantia, ut easdem litteras presentibus litteris nostris transcribi et transumi facientes, eisdem dare et concedere dignaremur, Jurium ipsorum in cautellam. Quarum tenor talis est: Sigismundus dei gratia Rex Hungarie, Dalmatie, Croatiae etc. Marchioque Brandenburgensis etc., Sacri Romani Imperii Vicarius generalis, et Regni Bohemie Gubernator, fidelibus suis Spectabili et Magnifico Viro Domino Hermanno Comiti Cilie et Zagorie, Dalmatieque et Croatiae, ac totius Slavonie Regnorum nostrorum Bano, nec non Gubernatori Episcopatus Zagrabiensis, ac Decimatoribus seu Exactoribus Decimarum Episcopatus ejusdem, nunc scilicet constitutis et in futurum constituendis, salutem et gratiam. Licet nos premissas Decimas, frugum scilicet et vinorum aliarumque rerum cujuslibet generis eidem Episcopatui, Episcopoque ecclesie loci ejusdem, ex parte Incolarum praefati Regni nostri Slavonie provenientes, certis causis nos urgentibus, in anno proxime evoluto a Reverendo in Christo patre domino Eberhardo Episcopo annotate Zagrabiensis ecclesie conductive recipientes, in specie et in colore, contra consuetudines et libertates antiquas ejusdem Regni nostri recipi et exigi faceremus. Tamen supplicationibus nobilium, Procerum, aliorumque Incolarum dicti Regni nostri Slavonie, nostre pro eorundem parte subjective oblatis Majestati, favorabiliter inclinati concessimus et annuimus: vt universi Regnicole nostri hujusmodi Decimas pre-tacto Episcopo provenientes, de quibuscunque rebus eorum, non in specie et colore sed modo ab antiquo consveto dare, solvere et amministrare teneantur, mandantes vestre fidelitati firmiter et districte per presentes, quatenus amodo deinceps in antea prescriptas Decimas a prefatis Incolis, sub Jurisdictione dicti Episcopatus